

per ardente febrī laborant, in domō, ubi solium habetur tepente aquā plenum.

Nostrō tempore balnei usus in defuetudinem venit. Et, quæso, quis illud tali ægroto imperaret?

CAPUT LVI.

Symptomatum habetur ratio.

SYMP TOMATA, si valdè urgeant, ægrosque debilitent, magni sunt ponderis. Hinc talia propinanda medicamenta, quæ tùm ipsi morbo, tùm ejusdem symptomatibus resistere valent.

SITIS INEXPLEBILIS, caloris & siccitatis filia, cùm à nimio pulmonum provenit æstu, aëre frigidō attractō & crystallo ori indito mitigatur. Cùm verò à ventriculo, hepate aliorumque viscerum æstuantium intemperie ortum trahit, sedatur, remotis causis, à quibus dependet.

Ad sitim sedandam *aquam mulsam* coctam dare jubet *Hippocrates 4. de acutis t. 5.* quantum voluerit. *Galenus* laudat *cremorem hordei & aquam*, in quā decocta sit *radix apii*.

Convenit *aquā frigidā* os colluere, sæpiusque iterare. *Crystallus* ore detentus sitim mitigat. Item *ribes & succus granatorum*. Laudatur, ▽ *fontana* cum *sirupo violarum* & aliquot guttis *sp. Aris* permista.

Crystallus mineralis, seu *lapis prunella* mira præstat in ▽ *Fontana* dissolutus, bibitus vel pro collutione oris adhibitus. Hòc ad *ziss.* cum ▽ *communi* assumptō sitim in ardente fuisse extinctam, narrat *Riverius in observ. commun. 24.*

LINGUÆ VITIA, ariditas, nigredo &c. & **FAUCIUM INFLAMMATIONES**, gargarismate vel oris collutione corrigenda. *Lapis prunella* his venit in auxilium, vel solus, vel aliis permistus.

Rx. $\text{\textcircled{O}}$ *anodynī mineralis* ℞nini ℥ii. *sacchari violati tabulati* ℥ii.
O 2 M.F.